DE POLYPIS UTERI NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIO-MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS LEOPOLDUS BURCHARD

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. KUNZE, MED. ET CHIR. DR.

C. HEER, MED. ET CHIR. CAND.

M. BLUEMNER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Πάντα τὰ σημεῖα χρὴ θεάσασθαι καὶ μὴ ἑνὶ πιστεύειν.

HIPPOCR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

CELEBERRIMO

J. BETSCHLER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE IN LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA VRATISLAVIENSI, XENODOCHII REGII OBSTETRICII, QUOD FLORET VRATISLAVIAE, PRIMO DIRECTORI, CLINICI ET POLICLINICI OBSTETRICII IBIDEM MODERATORI, LEGIONIS PRIMAE EQUITUM CATAPHRACTORUM MEDICO PRINCIPI, COLLEGII SUPREMI AD HABENDA EXAMINA MEDICO-CHIRURGORUM PRIMI ORDINIS MEMBRO, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ET

VIRO EXPERIENTISSIMO

A. *BURCHARD*

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, XENODOCHII REGII OBSTETRICII VRATISLAVIENSIS MEDICO ET SCHOLAE IBIDEM OBSTETRICIAE PRAECEPTORI, CLINICI ET POLICLINICI OBSTETRICII, QUOD FLORET VRATISLAVIAE, MEDICO, SOCIETATUM QUARUNDAM LITTERARIARUM SODALI,

FRATRI OPTIMO, AMATISSIMO,

IN SUMMUM, QUO PAR EST,

GRATI ANIMI PIETATISQUE SIGNUM,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

CONSECRAVIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

De quanam re conscriberem dissertationem inauguralem, multum diuque mecum reputavi; nec mihi, ac fortasse multis aliis, qui scribere jussi specimina prima litteraria in publicam dijudicationem prolaturi sunt, expeditiorem inter varias materias medicas fuisse delectum, libere fateor. Sed mox ea, quorum jam Vratislaviae in clinico ac policlinico obstetricio, quod casuum artem obstetriciam spectantium abundantia aeque ac gravitate inter multa alia hujusce generis instituta excellit, fundamenta quaedam posueram, recepi, idque eo libentius feci, quo magis res mihi arridebat et quo dignior forsan divulgatu videbatur. Nam cum per annum integrum clinicum illud obstetricium, quod originem et florem praestantem debet Illustrissimi Professoris Dris. Betschler- studio indefesso atque praeclarissimo,

non sine fructu meo frequentarem, sponte conti-
gerat, ut mulieres complures polypo uteri (ra-
riori alibi morbo) laborantes, venia data a Pro-
fessore Illustrissimo ob magnam qua me semper
ornavit benevolentiam, diligentius observarem
nec non ipse curarem. In quibus de hoc morbo
observationibus benigna fratris carissimi Doctoris
Burchard, qui est medicus illius clinici, atque
accurata institutio in aegrotarum lectis valde me
adjuvit. Quamvis vero me non fugiat, morbum
a me exponendum et ob causas obnubilatas et
ob curae difficultatem experientissimi potius me-
dici quam tironis artis medicae calamo indigere;
tamen nec ineptum nec inutile fore arbitratus
sum, quae ab auctoribus multis de polypis uteri
prolata sint, me collegisse, collecta pro viribus
perpendisse, perpensaque in ordinem quendam
redegisse, adnexis nonnullis singularibus mor-
bi historiis, huc spectantibus. Sin vero rem
susceptam, urgentibus angustiis temporis, quod in
eadem consumere licuit, aequo Marte non tra-
ctaverim, aut si quid docuerim, quod abhorreat
ab aliorum sententia, indulgeant mihi existimato-
res benevoli, et serena fronte hasce juveniles pri-
mitias excipiant oro atque obsecro.

SCRIPTORES DE POLYPIS UTERI.

Lévret, observations sur la cure radicale de plusieurs polypes de la matricc, de la gorge et du nez opérée par de nouveaux moyens inventés. Paris. 1749. 8.

— sur les polypes de la matrice et du vagin; in den Mémoires de l'Academie de Chirurgie. Vol. III. pag. 158.

Loder, über die Polypen der Gebärmutter, der Nase und des Ohres; in den chirurgisch-medicinischen Beobachtungen. Th. I. S. 95.

Désault, Abhandlung über die Ligatur dér Polypen in den verschiedenen Cavitäten; im chirurgischen Nachlass. Bd. II. Th. 2. S. 218.

Klug, Diss. Historia instrumentorum ad polyporum exstirpationem, eorumque usus chirurgicus. Halae 1799.

Herbiniaux, Parallèle de différens instruments et methodes de s'en servir, pour pratiquer la ligature des polypes dans la matrice. A la Haye, 1771.

— Traité sur les divers accouchemens laborieux et sur les polypes de la matrice, à Bruxelles 1782. 93. Vol. II.

Goertz, Diss. sistens novum ad ligaturam polyporum uteri instrumentum. Götting. 1783.

Walter, De polypis uteri; in den Annal. Berol. 1786. Vol. I. p. 20.

Nissen, Diss. de polypis uteri et vaginae, novoque ad eorum ligaturam instrumento. Götting. 1789.

Stark, über die Mutterpolypen und Umkehrung der Gebärmutter; in seinem neuen Archiv für die Geburtshülfe. Bd. I. St. 3.

Heinze, Diss. de ortu et discrimine polyporum praecipue polyporum uteri. Jenae 1790.

Zeitmann, Diss. de signis et curatione polyporum uteri Jenae 1790.

Rothbart, Diss. de polypis uteri. Erf. 1795.

Ségarf, Diss. sur les polypes uterins. Paris, an. XII.

Lefaucheux, sur les tumeurs circonscrites et indolentes du tissu cellulaire de la matrice et du vagin Paris 1802.

Tanner, Diss. de polypo feliciter ex utero exstirpato Argent. 1771.

Roux, mémoire sur les polypes uterins; in den Mélanges de Chirurgie et de Physiologie.

Schunkius, Diss. de polypo post febrem epidemicam ex utero egresso. Vitemb. 1739.

Doerry, Diss. de polyporum uteri pathologia. Erf. 1800.

Ringe, Diss. de polyporum uteri therapia. Erf. 1800.

Meifsner, über die Polypen in den verschiedenen Höhlen des menschlichen Körpers. Leipzig 1820.

Mayer, Diss. de polypis uteri. Berolini 1821.

Hauk, über die Gebärmutterpolypen; in Rust's Magazin Bd. III. S. 263.

Definitio morbi.

Polypi ab omnibus aliis parasitis consistentia, causis t universalibus et topicis, propriisque signis pathognonicis distincti, excrescentiae sunt anomalae, quae tunica mucosa orginem ducunt, cum in iis praecique partibus, quae tunica mucosa gaudent, ut in aso, sinibus, antro Highmori, in meatu auditorio nterno, tuba Eustachii, lingua, pharynge, oesophago, entriculo, intestinis, renibus, vesica urinaria, urethra, lenique in vagina et utero occurrant. De his autem uteri scilicet polypis) jam largius hic et copiosius lisseremus.

Polypi uteri distinguuntur: 1) secundum structu-am, in polypos mucosos seu bullosos, in carnosos qui molles, benigni) et in fibrosos (qui duri, maigni, vocantur); 2) secundum formam, in petiolatos, asi latiori insidentes, vel piri vel cepae speciem ge-

rentes; 3) secundum sedem, vel fundo et corpori uteri, vel collo et orificii inhaerentes.

Veteres medici in cognoscendis uteri polypis minus experti fuisse videntur. Hippocrates polypum uteri columellam appellat, Celsus [1]) et Galenus [2]) nonnisi de narium polypis verba faciunt. Aëtius [3]) autem primus est, qui de uteri polypis effusius disserit, eumque τὴν κέρκωσιν (caudam, a verbo κέρκειν, fallere, decipere) nominat, quod caudae vulpinae similitudinem gerat. Deinde Paulus Aegineta dicit, uteri polypum esse substantiam carnosam, quae in genitalibus exorta, ex orificio uteri in vaginam egressa, per genitalium externas partes in lucem prodeat, caudam vulpinam affectans. Inde nomen exstitisse credunt. M. A. Severinus polypum uteri caudam vaginae nuncupat. Sed haud scio, an non complures veterum medicorum uteri polypum e genitalibus propendentem pro clitoride praeter naturam adaucta vendiderint [4]). In temporis autem decursu multi chirurgi, artisque obstetriciae periti sudore et labore operam dederunt, ut experientia edocti diagnosin hujus morbi certam et distinctam atque medelam rationalem statuerent.

---

1) Lib. VI. 8.

2) Lib. III. Comp. Pharm.

3) Tetrab. med. Lib. IV. Serm. IV. Cap. 104. p. 922.

4) Sic etiam Castelli „Cercosis symptoma turpitudinis vocatur, estque morbus muliebris auctae magnitudinis in clitoride" — Lexicon med. graeco — latin.

Decursus morbi.

Complures auctores [1]) quattuor stadia percurrere morbum dicunt. In primo stadio polypus adhuc exiguus superiori uteri parti inhaeret; in secundo autem inferiorem occupat uteri partem ac per orificium internum prodit; in tertio in vaginam descendit; in quarto extra genitalia in lucem progreditur. Quae divisio e polypi magnitudine capta minus accurata ac distincta mihi esse videtur, cum inter illa stadia nullum existat discrimen perspicuum et apertum. Itaque tantum abest, ut e forma volumine polyporum divisionis statuere passis fundamentum, ut potius e propriis symptomatibus pathognomonicis, quae polypi in vaginam descensum stipant, auspicandum, et duo tantum stadia ponenda esse putem, nempe

1) stadium ante descensum et exitum polypi ex utero, ubi parasita in uteri cavitate retinetur, et
2) stadium post descensum in vaginam, in quo polypus prolapsus in vaginam vel ex ea propendet.

I. Stadium primum.

Symptomata polypi evolutionem indicantia valde dubiosa et difficilia esse neminem fugiet, cum foemi-

---

1) Inter quos: Mende, Meissner, El. v. Siebold, et alii.

nae propter pudicitiam ac verecundiam parasitam, primo tempore insuper minus molestam ac exiguam, negligant ac medicorum auxilium contra malum jam provectum, quod ipsis magno est impedimento, petunt. Sed in iis casibus, in quibus a primo tempore medico facultas data est morbum observandi, symptomata se praebent, quae graviditatis speciem prae se ferunt. Temperatura genitalium est adaucta, rima orificii uteri externi in rotundum mutata foramen, labia tumefacta, relaxata, labium superius inferiori aequale, collum brevius ac molle apparet. Menstruatio quamvis frequentissima adsit, tamen ab ordine regulari recedit [1]); aut enim unius vel duarum hebdomadum incedit frequentia, aut per longius cessat, aut cum fluore albo alternat [2]). Memoratu autem dignissimum est, quod, superato effluxu sanguinis per quinque vel sex dies durante, nonnullae sanguinis guttae ex post prostillent, quae sine dubio ex eo emanant loco internae superficiei uteri, in quo polypus exortus functionem consuetam retardat [3]). Polypus nunc passim serpendo increscit ac majorem sibi adipiscitur ambitum, atque minus pondere suo, quam distorquendo et distendendo, nervi sympathici ramos vomituritiones, nauseam, ipsumque vomitum, oppressionem, tensiones in regione ossis sacri et lumbali movet; propter sympathiam etiam

1) El. v. Siebold, Handbuch zur Erkennung u. Heilung der Frzkten. §. 755.

2) Tanner l. c.

3) Mende, Krankheiten der Weiber. Th. II. p. 165.

nervi organorum systematis uropoëtici afficiuntur ac urina copiosius secernitur, praeterea coenaesthesis alienata, animus morosus, palpitatio cordis, symptomata hysteriae se manifestant, in mammis punctio et pruritus percipitur [1]). Polypus uteri parietes magis magisque distendit, portio vaginalis brevior ac crassior fit, segmentum inferius majorem amplectitur ambitum. Nunc parasita tanquam corpus alienum in organismum vim suam exercet, ac uterum ad reactionem incitat. Inde fit, ut matrix contractionibus, doloribus parturientium similibus, parasitam expellere conetur, eamque ad collum usque uteri detrudat. Diagnosis nunc et manuali et instrumentali exploratione certa statui potest, praecipue apud foeminas multiparas, in quibus polypus perfacile tangi et a digito explorante circumiri queat. Quae locales affectiones in morbi decursu universalibus stipantur, quae praecipue in systemate reproductionis vomituritionibus, anorexia, producuntur. Menstruatio jam antea irregularis nunc in fluxum sanguinolentum, frequentissime in haemorrhagiam vehementem, cui aegrotae haud raro succumbunt [2]), transit. Sanguis emissus, tenuis, aquosus, foetidus, globulis ac substantiis fibrosis intermixtus, usu spirituosorum et cibis aromaticis et excitantibus adaugetur. Quo

---

1) Voigt, de consensu uterum inter atque mammas. Diss. Lps. 1816.

2) Vide: Richter, chirurgische Bibliothek. Bd. 7. St. 4. p. 668.

fluxu subito suppresso, congestiones [1]), vertigo, cephalaea, palpitatio cordis, spasmi exsistunt. Symtoma autem constans est tensio dolorosa in osse sacro, quae ad vesicam usque patet atque ligamentis nimis intensis promovetur. Subinde dolor vehementissimus in regione ossis sacri et pressio in pube ac spasmi ex pondere, quod nervos comprimit, gravissimi oriuntur; urina tenuis ac pallida spastice retinetur, excretio alvi ob eandem retardatur causam, et istud abdominis latus, in quo incumbit aegrota, tumescit, eamque in dorso decumbere dolores trahentes cogunt.

II. Stadium secundum.

Parasita pondere et volumine adaucta serpit manatque indies latius et per orificium uteri in vaginam symptomatibus valde pathognomonicis praedominantibus, penetrat. Qui descensus duplici modo perfici potest, vel subito vel gradatim. Dolor semper vehementissimus doloribus parturientium similis ab utero incipit, atque ad dorsum, regionem lumbalem, in columnam ventebrarum, in hypochondria, usque ad crura patet. Quibus doloribus durantibus aegrota quasi aliquid in abdomine rumpat sese percipere credit. Uterus autem ipse, quando se contrahere incipiat, polypo sursum cogitur, ac orificium compressum magna cum difficultate tangi potest. Polypus in

---

1) Vide morbi historiam Henricae S.

vaginam nunc egressus, amplius sibi acquirit spatium, ita ut omnes difficultates ac incommoda dispareant, quae a pressione ejus effecta sunt. Sed pro dolor aliud nunc intrat symptoma perniciosissimum et vitam aegrotae summopere periclitans, nempe haemorrhagiae. Cum enim uterus, expulso veluti corpore alieno, magis magisque contrahatur, atque pedunculus parasitae orificio uteri constringatur, et incarceretur, affluxus quidem sanguinis per arterias ad polypum non impeditur, at vero refluxus sanguinis venosi per venas, quae contractae et compressae rumpunt et sanguinem in superficiem polypi emittunt. Inde color polypi coeruleus, inde incrementum celerrimum in hac periodo, quod quidem percipitur, quando parasitam speculo vaginae intuearis. Sanguis qui nunc exstillat, magis dissolutus, foetidus (praecipue ubi polypus in putrescentiam transire incipit), in totum agit organismum, si resorbetur. Aegrota pallescit, tabescit; oculi vagi, anxii, inquieti, collabuntur, splendoremque suum priorem amittunt; ut breviter dicam, eadem imago nobis se affert, quae in haemorrhagia obviam venit. Polypus ipse indies crescit, denique e vagina ipsa evadit et in lucem prodit; uterus polypi mole continuo detrahitur, detruditur et deorsum labitur. Inde tensio dolens perpetua abdominalis, inde inversio uteri [1]), quae in fine nonnunquam intrat. Quae inversio maximis con-

---

1) Vacoussain, in: Mémoires de l'acad. de Chir. T. III. p. 566.

juncta est impedimentis localibus. Aër, compressio, frictio, continua humiditas, urina ac muco effluente effecta, vim suam exercent in superficiem sic expositam, ejusque involucrum laedunt, haemorrhagiam augent, inflammationem, ulcerationem et haud raro gangraenam commovent. Secretio urinae magnopere impeditur, abdomen tumescit, dolore afficitur, haemorrhagiae reiterant, respiratio difficilis, tussis sicca, appetitus mancus, prostratus, febris hectica atque hydrops finem morbo imponunt, et mors vel ex defectu virium vel ex haemorrhagiis vehementissimis aegrotam ab omnibus liberat incommodis.

Diagnosis morbi.

Scripta, inprimis priorum auctorum, qui de hac parasita disseruerunt, pervestigans, noxas ingentes foeminis per ignorantiam medentium, maxime obstetricum, quibus fere solis foeminarum salus commissa fuit, illatas esse invenies. Verum enim vero malum hoc aliis, forma quidem similibus, sed curandi methodo admodum diversis, confundebatur. Quamvis detestemur errores commissos, quorum piacula jam dudum insatiabilis terra abscondidit, fatendum tamen est, haud facilem esse diagnosin veram, in qua curationis cardo vertitur, stabilire, quum ipsi viri versatissimi interdum haesitent, quid in tanta rerum ambiguitate vero consentaneum sit habendum. Praecipue primum stadium parasitae nascentis multum difficultatis diagnoscenti medico praebet Quapropter non est negligendum, quidquid ad

eruendam diagnosin conferat, bene exquirere, illudque patris medicinae: „Πάντα τὰ σημεῖα χρὴ θεάσασθαι καὶ μὴ ἑνὶ πιστεύειν“ maxime respiciendum est axioma. Omnia enim signa et causae, exploratio interna et externa, caute atque circumspecte instituta, de praesentis mali natura nos certiores reddunt. Denique scire oportet, quaenam vitia hoc malum simulare possint, et quomodo inter se differant. Mala, quibuscum confusus saepius est uteri polypus et confundi potest, haec sunt: inversio uteri, mola, graviditas, prolapsus, retroversio, excrescentiae fungosae et scirrhi. Itaque dirimendum est, quanam re polypus ab his omnibus malis discrepet.

1) Polypus in stadio primo inversionem uteri incompletam, in secundo completam imitari potest, sed hoc modo distinguitur. Polypus aliis causis sensim sensimque in qualibet periodo, si forsan graviditatis tempus excipias, oritur; inversio autem subito, causis plerumque mechanicis, vel inter vel paulo post partum. Sin vero aliquando in graviditatis periodo juxta prolem et polypus ex uteri substantia succreverit, ut Lévret observavit, fere semper accidit, ut assiduum sanguinis profluvium et abortus fiat.

Polypus formam piro vel cepae inversae similem exhibet, cujus pars superior in substantia uteri radices agens, tenuis est, et caulis seu petiolus vocatur. Caulis hic, inferiora versus crassitie increscens, corpus seu basin format. Inversio cono similis est, cujus pars latior, seu basis sursum spectat, tenuior, seu apex deorsum pendet. Quodsi vero orificium,

ut interdum fit, uteri inversi partem ex eo prominentem arctius constrinxerit, inversio plane dissimilis invenitur priori, superne tenuior inferne crassior. Eadem est ratio polypi, quippe qui, ubi orificium magis dilataverit, faciem coni obtusi prae se fert, cujus basis ad summum, apex ad imum spectat. Polypus mollior tractabiliorque, inversio duriuscula atque leviter sulcata tactui offertur. Praestantissimum autem signum diagnosticum est dolor, quem mulier percipit, si digiti ungue uterum inversum rodas, vel acu pungas. Si vero polypum tali modo attrectes, mulier sensatione omnino nulla afficitur. Cavendum autem est, ne polypum incautius vellas, tunc enim foeminae dolorem affers uterum irritando. — Specillum juxta polypum per vaginam usque ad fundum uteri introduci potest; utero inverso autem mox locus inversus obstat. Inversio uteri, si forsan inveteratam atque incarceratam excipias, semper reponi potest, et repositio molestias aufert, polypus repositionem nunquam patitur, etenim conamina id molientia dolores mulieri immensos cient. — Quaeritur nunc, quid intercedat inter polypum in stadio secundo et inversionem completam. Similitudo utriusque insignis est. Tam hujus quam illius superior pars tenuior, inferior in vaginam propendens, crassior est. In utroque casu mensium fluxus irregularis quidem, attamen per periodos revertit. Communis est sanguinis jactura, ea interposita differentia, ut polypi sanguis modo niger, rubicundus, aquosus vel mucosus, modo particulis polyposis, fibris, flocculis, ichoreque commixtus sit, ac foeteat; deinde iis communia

sunt ischuria, stranguria, retentio urinae, dolor distendens. Differunt vero hisce. Uteri os caulem polypi, nisi inversione junctus sit, cinguli instar, quod digito indagante percipi potest, circumdat, inversione vero completa, orificium ipsum inversum sursum spectat, et ut supra dixi, juxta polypum usque ad uteri fundum specillum intromitti potest, in inversione completa autem hoc vaginae lacunar impeditur. — Polypi pars superior seu petiolus dura, compacta et renitens, inversionis, quia cavum exhibet, mollis, tractabilis, floccidaque est tactu. — Superficies polypi est villosa, floccida, fungosa ac inaequalis, nisi forsan tunica uteri interna circumdetur, quo in casu speciem laevem prae se fert; at inversionis est plus minusve mollis, rotunda, striata, aspera, fimbriis ac interdum placentae vestigiis instructa. — Demum inversio uteri completa ex ventris supra symphysin ossium pubis inanitate facile cognoscitur.

2) Alterum autem genus, quod polypum forsitan mentiri possit, in uteri prolapsu cernitur. Neque tamen hic error facile committitur. Quodsi enim aliquando accuratius corpus prolapsum digito indagaveris, in infima prolapsus parte uteri os, quod in polypo exquiri nequit, facillimo negotio percipies. Verum etiam aliis signis internoscuntur. Prolapsus duriusculus est et elasticus, laevissimus, albescens splendensque, polypus mollior superficiem supra descriptam prae se fert. Facta repositione et applicato suppositorio omnes evanescunt difficultates, quae augeantur necesse est, quando polypum reponere intendas. At vero metrorrhagia lenta, chronica serius in fluo-

rem album abiens, in prolapsu interdum observatur nec minus menstruationis tempore, licet guttatim sanguis ex uteri orificio profluit; specillum vel digitus sursum introduci potest, quod in polypo efficere nequis.

3) Polypus uteri perfacile distinguitur a retroversione uteri, quae in graviditate ad quartum mensem usque incidere potest. Uteri retroversi orificium in ossa pubis conversum collum vesicae ita comprimit, ut retentio urinae inde effecta nonnisi cathederis ope tolli queat. Fundus autem uteri in cavo ossis sacri situs pondere suo ac pressione recti obstructiones ciet. Omnes autem difficultates disparent, quando fundus uteri digitis introductis furcillatis sursum premitur, in prioremque statum redigitur.

4) Inter molam et polypum uteri autem hoc maxime intercedit, quod in illa supra symphysin ossium pubis ventrem valde ampliorem, tumidum tactuque dolorificum invenies, in hoc vero inanitatem illius regionis observabis. Orificium uteri usque ad partus initium obclusum doloribus praedominantibus aperitur; in polypo vero hoc non accidit. Menstruatio non adest in mola, in polypo perdurat nonnunquam In mola plerumque etiam coitus antecessit. Denique post alterum vel tertium mensem sua sponte, praegressis plerumque parturientium doloribus, magno cum sanguinis profluvio mola expellitur.

5) In primo stadio polypus graviditatem simulare potest. Sed in universum parasitam apud eas suspicies foeminas, quae aetate provecta ad concipiendum minus aptae versantur, quamvis polypus

etiam in utero puellarum occurrat.[1]) Manualis autem exploratio maximi est momenti. Portio vaginalis uteri gravidi elastica ac mollis sensim sensimque dilatatur (exceptis quodammodo multiparis), orificium uteri obclusum, haud aliter ac sub doloribns aperitur; in polypo autem internum uteri orificium magis pondere parasitae, quam doloribus parientium patescit. Praeterea orificium in polypo durius est quam in utero gravido. Menstruatio in polypo rarissime suppressa sed irregularis, et frequentissime doloribus conjuncta perdurat, sanguis emanans est clarior, aquosior, foetidior et fibrosis particulis intermixtus, hujus fluxum haud raro mucus admodum ingrati odoris excipit. Abdominis extensio in gravida major ac regularis est, atque in decursu graviditatis foetus motus percipitur; quae symptomata diagnosin statuunt sat certam et distinctam.

6) Excrescentiae fungosae, quae in collo uteri ac orificio frequentissime inveniuntur, semper indurationis scirrhosae sunt sequelae et exitus. Orificium uteri est durum et dolens; excrescentiae ipsae irregulares, sanguinem perfacile emittunt.

7) Scirrhus uteri a polypo distinguitur doloribus pungentibus, mordentibus et lacerantibus, qui primo intermittentes subinde in continuos transeunt, porro copioso fluore albo, qui partes vicinas corrodit; fluxu sanguinis, massas nigras continentis, duritie et protuberantiis, praecipue autem dolore insigni, qui tactu percipitur.

---

1) Vide: Pfaff, chir. Wahrnehmungen. — Richter, chirur. Bibl. VI. Bd. 4. Hft. S. 539.

Aetiologia morbi.

Auctorum opiniones de polyporum patholog in universum et de causis polypi uterini in spec summopere inter se discrepant, quae contradicti aetiologiam polypi nostri adhuc tenebris later evincit.

Secundum Mursinnam [1]) polypus uterinus massa sanguinea nascitur, quae remotis secundi ex coagulato ac concreto sanguine efformata, ac se proprio privata, ob glutinosam et tenacem indole utero adhaeret, ibique crescendo implicata sens sensimque in pseudorganisationem transit, nisi pri absorbeatur. — Smellie [2]) glandulas mucosas ob turatas accusat, ita ut ductus secretorii ac venae ol struantur, dum arteriae sanguinem adducant.— Le vret [3]) causam proximam esse indurationem pa tis exiguae uteri dicit, quae crescendo gravior uterum deorsum cogit. — Hunteri [4]) autem opinio est: poly pum uteri e rupta membrana Hunteri originem ducere inde fieri, ut vasa propagentur, propriumque forme involucrum. — Walter [5]) tanquam causam ex ternam luem veneream inculpat, quae simulac seden

---

1) Abhandlung v. d. Krankheiten der Schwangeren Gebärenden und Wöchnerinnen, Berlin 1786. Bd. II. p. 34

2) Traité de la theorie et pratique des Accouchemens traduit de l'Anglais, p. 129.

3) Mémoires de l'academ. de Chir. T. III. p. 590.

4) Diss. de nutritione foetus.

5) Annotat. acad. Berolini. 1786.

in utero fixit, vasa ad secernandum liquorem abnormen incitat, quem succum luxuriantem nominat. — Alii autem auctores alias proferunt opiniones, quarum ea nobis omnium maxime arridet, quae vegetationis uteri alienationem, irritatione topica ac interna membranae mucosae conflata, causam proximam nuncupat. Quae alienatio anomala in polypis mucosis tunicae mucosae parenchyma tantum invadit; vasa ipsa omnino labe ista vacua nullam exercent vim; quam ob rem complures auctores polypos mucosos prolapsum esse tunicae mucosae dixerunt. At vero in polypis carnosis una cum abnormi parenchymatis vegetatione vasa quoque formari, in quibus sanguinis exsistat circulatio atque tela cellulosa in fibrosam abeat texturam, experientia docet [1]). Quapropter magna vasorum copia in hac specie invenitur [2]), multumque abest, ut canales tantum sint, ut Meifsner [3]) putat, a vicinis partibus haud discreti.

Causae autem occasionales vel externae vel internae sunt. Ad externas pertinent, quae continuo in tunicam mucosam vim suam excercentes, eam incitant atque irritant, e. g. abusus ollae carbonariae [4]), onania, coitus nimius laesiones tunicae mucosae instrumentis, unguibus, secundinarum violenta ruptura. Internae causae autem nominandae sunt syphilis, ar-

---

1) Vide historiam morbi Henricae S.

2) Schreger Annalen des chirurg. Clinicums zu Erlangen. Erl. 1817. S. 47.

3) Ueber die Polypen in den verschiedenen Höhlen des menschlichen Körpers. Lpzg. 1820. S. 13. ff.

4) Vide morbi historiam Rosinae K.

thritis, scrophulosis, congestiones ad genitalia variis causis effectae. Foeminas gracili debilique structura et atonia genitalium ac fluore albo vexatas, in hunc morbum praedispositas esse haud in dubium vocandum; femellas hystericas, mulieres, quarum menstrua, postquam, jam procreandi facultate sublata, cessaverunt, denuo et insolito in conspectum venerunt; praecipue autem foeminae, quarum menses cessare incipiunt. Etenim magni est momenti tempestas ista, ubi decrepiditate jam superveniente, universus mulierum organismus, novo quasi rerum ordine intrante, conturbetur. Nam vi plastica in genitalibus sensim sensimque decrescente etiam totius systematis vasorum et reproductionis ordo et vita immutatur. Vis plastica, quae semper quidquam formare studet, cum porta occlusa sit, unde a se producta foras educat, in ipsum organismum convertitur, et cogitur, qui cum ab omnibus numeris jam absolutus sit, occasione oblata in productiones alienas conformandas incenditur. Unde fit, ut aetas illa maxime propensa sit ad indurationes, scirrhos, carcinoma, tumores cysticos et praecipue polypos uteri, efformanda.

Prognosis morbi.

Prognosis est statuenda secundum naturam, insertionem, petiolum, formam, magnitudinem polyporum; secundum aetatem, constitutionem et vires aegrotarum.

Polypi uteri meliorem inaugurant prognosin quam narium polypi, quia spatium latius operationem

ninus impedit. — Polypos uteri sublatos rarissime egenerare experientia docet.

Polypi mucosi et carnosi in universum facilius unt tollendi quam crassi et solidi. — Quo durior aeterum parasita, eo magis ad scirrhum et carcinoma ergit.

Quoad locum, cui polypus insidet, ad operatioem aptissimus quisque optimus est. Quo longior t gracilior petiolus polypi, eo melior prognosis, mala utem si crassus, pejor si tendinosus ac induratus, essima si carcinomatosus exsistat pedunculus. —

Quo majus polypi volumen, eo pejor exitus.

Quod malum quando per longius durat, vicinis artibus coalescit, vel in putrescentiam transeat neesse est. Inde fit ut ichor resorbeatur et febris ectica exsistat, cum nimia virium prostratione conncta.

Aetas virginea meliorem statuit prognosin quam etas jam provecta et debilitas.

In multiparis prognosis melior quam in primiaris.

Uteri polypi conceptionem permittunt, quamvis oortus plerumque subsequatur. Sed sunt exempla, bi graviditas justum adepta sit finem [1]).

Operatione perfecta graviditas non solum inare, sed etiam regulari modo percurrere potest [2]).

---

1) Chelius Handbuch der Chir. II. Band. II. Abt.

2) El. v. Siebolds Chiron. Band II. St. 2. S. 427.

Cura.

Duae indicationes praecipue sunt ponendae, polypi exstirpatio perficiatur.

1) Polypum ex organismo ipso removere.

2) Regenerationem prohibere, et cavere.

Prima indicatio nonnisi operatione absolvit cum rarissima exsistant exempla, ubi polypus u orificio constrictus in perfectam transeat solution Quae autem operatio multis gaudet methodis, q ab antiquissimis temporibus contra hunc hostem o ganismi humani in usum vocatae sunt; quarum tatissimae, quae aetatem tulerunt, maximoque stu sunt excultae, habentur hae: evulsio, deligati resectio, quibus adnectuntur ustio et scarificat minus utiles, itaque minus excultae. Recentiori ae C. Bell addidit conquassationem.

1) Evulsio.

Methodus antiquissima, inprimis forcipe institut inter omnes methodos ad exstirpandos polypos la datas, juxta abscissionem est simplicissima, facillim brevissima: quippe quae subito polypum submove itaque ligaturae hac parte praestet, et regeneratione vitii satis certo caveat. Sed in polypis uteri n adhiberi potest, cum locum suum tantum habe ubi polypi firmo insident parieti, ut na rium, faucium, auris etc.

2) Deligatio.

Haecce methodus omnium maxime culta, rell

quis aetate quidem cedit, eadem vero, si narium po- ypos respicimus, ad Guilelmum Salicetum et Joannem Vigo, si uteri polypos, ad Avicennam ›otest indagari, quippe fursus seu charcas ei dic- us sive aetimologiam sive morbi descriptionem in- .uemur, pro uteri polypo est habendus. Deligatio, :ujus seniores mentionem faciunt, aurium et narium ›olypos tantum respicit; Dionis primus ad uteri po- ypos eam referri posse tradit. Ratio, cur oblivioni radita sit, facile intelligitur: pauca modo exstiterunt xempla, quibus uteri polypi sola manu possint li- ;ari; parasitis altius haerentibus fundo uteri adnatis hirurgia tunc instrumentis idoneis omnino erat de- tituta. Mox autem ligatura palmam illi praeripuit, nstrumentaque sibi inventa vicissim in illam trans- ulit. Duce Lévreto, hujus methodi ad exstirpan- os uteri polypos auctorc, cui summa ejus perfectio ebetur, ista chirurgiae pars tenebris emersit. In- trumentis ab eo inventis impedimenta deligationi ob- ersantia submovebantur. Excitato igitur chirurgorum :udio ingens instrumentorum numerus, quorum ıulta laude sunt dignissima, in lucem prodiit. Om- ia autem instrumenta in duos ordines distribui possunt.

I. Instrumenta simplicia. Pertinent ad haec.

A. Instrumenta forcipes imitantia, commissuris de- cussa, quorum brachia ansam jam confectam in- troducunt. Lévret[1]). Le Cati[2]). La Faye[3]).

---

1) Observations sur la cure radicale de plusieurs pol. de la matrice.

2) Lévret, l. c. Pl. V. fig. 2.

3) Lévret, l. c. Pl. VI. fig. 1—8.

B. Instrumenta tubulosa vel solitarium tubulum vel duplicem, junctura indissolubili connexam vel duos mobili nexu munitos, qui ligaturae tam injiciendae, quam constringendae inserviunt. Keckius[1]. Lévret[2]. Langier[3]. Richter[4]. Nissen[5]. Joerg[6]. Meifsner[7].

C. Bacilli ligatorii.

II. Instrumenta composita.

A. Apparatus e duobus instrumentis singularibus compositi: ansae sustentaculo ad injiciendum laqueum et ansae constrictore ad laqueum constringendum. Ambrosius Paraeus[8]. Herbiniaux[9]. Stark[10]. Desault[11]. Bichat[12]. Brasdor[13].

B. Apparatus corona orbiculorum praecatorium[14] praediti consistunt ansae sustentaculis parvisque

---

1) Journal de Med. Tom. XXIX. pag. 533.

2) Journ. de Med. Octbr. 1770. pag. 365.

3) Journ. de Med. Octbr. 1770. pag. 60. — Ibidem Bullet.

4) Diss. pag. 45.

5) l. c. pag. 40.

6) l. c. pag. 419.

7) l. c. pag. 443.

8) Ambr. Paraei opera chir. Lib. VII. cap. VII. pag. 235—36.

9) Richter's chir. Bibl. Vol. II. Sectio I. pag. 75.

10) L. c. Tom. I. Sectio II. pag. 154.

11) Mémoires de la societé d'émulation, pag. 335.

12) ibidem.

13) Sabatier, de la medecin operatoire.

14) Quod nos dicimus: Rosenkranz.

globulis ad constringendum laqueum funiculo alligatis. Koderik[1]). Boucher[2]). Löffler[3]). Sauter[4]). Ribke[5]).

Quibus instrumentis breviter perlustratis deligationis indicationes nunc consideremus. Deligatio indicata est 1) si polypi parieti laxo facile cedenti inhaereant; 2) quorum basis adeo lata sit, ut vasa sanguifera majora iis inesse suspicemur, aut si ante operationem multum sanguinis ex iis feratur, si in pedunculo uteri polyporum arteriae pulsatio sentiatur. 3) Si polypi nec oculis nec tactu possint explorari.

Vitari dicitur ligatura: 1) ubi apparatus ligatorius non prompte possit addigi, 2) ubi intumescentia cito et repentino deligationem sequente, partium conterminarum functiones queant turbari aut subverti, et secretio ichoris acrioris polypi indecompositionem abeuntis periculum minitetur; 3) ubi locus sit alii methodo promptius opitulari.

Haecce methodus, quae olim omnibus reliquis praeponebatur, non destituitur incommodis. Assectatores hujus methodi regenerationem polypi hac methodo tutissime caveri censuerunt, at refragatur iis experientia: certe enim resectio minime ei cedit, praeterea dolor, quanquam levior, certe diuturnior

---

1) Richter's chirurg. Bibl. Tom. II. pag. 365.

2) Loder l. c. Vol. II. pag. 635.

3) Stark l. c. Vol. IV. Sect II, pag. 310.

4) El. v. Siebold's Chiron. Vol. II. pag. 420. Tab. VII. Fig. 1—8.

5) Rusts Magazin. Tom. II. Sectio. 291.

est, praesertim resectionis habita ratione. Caetero quin ejus administratio admodum est longinquior multis difficultatibus conjuncta et per ichoris secretionem inevitabilem molesta saepeque inimica.

3) Resectio.

Quae methodus antiquissimis polypos sanandi methodis adnumeranda. Hippocratis aevo creberrime in usum vocabatur. Postea reliquis medendi methodis cessit. Complures chirurgorum, imprimis altero saeculi superioris dimidio viventium, hanc operationem haemorrhagiae secundariae ingentis causa fugiendam imo detestandam censuerunt. Vix non plurimum auctoritas effecit Lévreti, ut resectio negligeretur, et reliquis medendi methodis, inprimis ligaturae polyporum uteri postponeretur, ille eam prorsus repudiavit. Sed subiit tempus, quo clarior lux chirurgis affulgeret, iisque persuaderetur, non unam medendi methodum omnibus sufficere casibus, e. g. uteri polypis solam deligationem. Richter[1]), cui plurimum debet chirurgia, certas ad resecandum polypum indicationes primus proposuit. Proinde haec methodus parum in usum vocabatur, donec nuper El. de Siebold perspecta ejus praestantia certisque indicationibus omnibus uteri polypi curandi methodis hanc praeferendam doceret, et dignitatem ejus ab adversariorum opprobriis vindicaret.

---

1) Anfangsgründe der Wundarzneik. Vol. I. pag. 415.

Huic Osiander [1]), Carus [2]), Dupuytren [3]), adstipulantur.

Ad exsequendam hancce methodum veteres [4]) utebantur cultellis, quorum forma ad polyporum sedem accommodabatur; verum etiam forcipes secantes iis plane incognitae non erant. Quorum instrumentorum antiquissimum videtur esse Nicolini Florentini, a Severino memorati, ex quo prodiit instrumentum, cui reliqua alia magis minusve sunt superstructa. Forfex recentiori aevo sola fere administrata, quam ad exstirpandos uteri polypos inclita obstetrix Justina Sigismunda in usum prima vocavit. Forfices recentiores ad laminam curvatae, apice obrotundo munitae, quarum principem locum tenet Sieboldii ad resecandos uteri polypos, Cooperii forfice prodierunt.

---

1) Handb. d. Entbindungsk. Abth. II. p. 453.

2) v. Siebold's Journal. VII. S. 3.

3) Salzburger medicinisch-chirur. Zeitung. Th. II. pag. 232.

4) Hippocrates l. c. de morbis. lib. II. Sect. V. pag. 30.

Celsus l. c. lib. VII. cap. 10.

Galen l. c. Isag. 220. B.

Paulus Aegineta l. c. lib. VI. cap. 25.

Avicenna l. c. lib. III fen. 5. tract. 2. pag. 575.

Guido Cauliacus l. c. tractatus. IV. doct. II. Vol. 18. f.

Hier. Fabricius l. c. cap. 24. pag. 440.

Heister l. c. cap. 150. 66. p. 1021.

Richter's Anfangsgr. d. Wundarzneik. Vol. I. p. 415.

Si quaeras ex me, quibus nam in casibus resecti sit largienda et reliquis methodis anteponenda, ho responsnm habeo:

Si polypi sunt uteri, omnes resecentur nisi conditiones singulares ligaturam prae ferri jubeant.

Quodsi dignitatem et commoda hujus aliarum que methodorum metiamur, resectio, quod attin simplicitatem, faciliorem administrationem et even tum celeriorem, longe praestat ligaturae, imo evul sioni palınam praeripit, cum partim minores ef ficiat dolores, partim minus tetra videatur aegrotis Si denique sciscitamur, num pseudoorganisation regenerationem caveat, certe reliquis methodis no cedit.

Operatio ipsa hoc modo est perficienda.

Pertinet ad apparatum forfex Sieboldii, forcep a Muiceau commendata, et styptica.

1) Polypus primum est apprehendus forcipe quem apprehensum et attractum socius teneat.

2) Qui operaturus est, laevae manus duos au si altius haereret polypus plures digitos oleo inunc tos in vaginam ad polypi usque petiolum immittat altera autem manu secundum hosce digitos forficem oleo inunctam ad eandem caute ducat altitudinem tumque, ne multum forficis membra diducere ne cesse sit, minusculis tantum secturis, presso sub digito factis, petiolum paullatim perscindat, polypumque mox vel manu vel, si nimius fuerit, forcipe ad id accommodata e vagina educat.

3) Haemorrhagiae sunt sistendae.

Operatione perfecta secundam aggrediamur indicationem, atque remediis propriis ad tollendam dispositionem organismi anomalam utamur. Atonia, quae frequentissime occurrit, diaeta, balneis, et remediis roborantibus curanda est; dyscrasiae autem specifica remedia exigunt.

MORBORUM HISTORIAE.

Historia I.

Rosina K., triginta octo annos nata, corporis habitu normali et robusto, exceptis infantum morbis quibusdam perpetua gaudebat secunda valetudine. Menstrua decimo septimo anno primum in conspectum prodeuntia semper et frequentia et typo incedebant regulari. Vigesimum annum agens militi nupta, quocum per quinque annos conjugium peregit faustissimum, et quatuor infantes edidit partu, quorum unica puella superstes est. In quoque autem partu magnopere sese laborasse affirmat, in duobus versionem peractam esse, semper autem placentam adhaerentem solvi necessarium fuisse. Post mortem primi mariti iterum nupta matrimonium antecedente cum infelicius tum etiam sterile peregit Post menstrua immodica, quae antecesserant, per tres menses brevibus tantum intervallis gravi metrorrhagia vexabatur, quae nullum typum certum observans paululum abfuit, quin aegram ad mortis usque fauces adduxisset. Accedit quod curam ipsius chirurgo cuidam imperito

artisque obstetriciae prorsus ignaro permisit, qui hujus haemorrhagiae causam abortum scilicet inculpabat, praesertim cum mammae paulo antea intumuissent atque adeo post dolores pungentes liquorem lacteum secrevissent. Tandem vero cum sub ista rerum conditione sese mox perituram intelligeret, policlinici obstetricii auxilium implorans celeriter levamen solatiumque accepit et persensit. Cum aegrotam primum visitarem, statum exhibuit huncce: ob immensam ac fere incredibilem sanguinis jacturam et ex curatione chirurgi istius male instituta, vires ejus vitales tantopere prostratae jacebant, ut lectum suum sine lipothymiae, vel vertiginis et aurium susurrus imminentis metu non valeret deserere. Insuper imaginem praebebat valde dolorosam: facies collapsa, oculi in orbitam retracti, nares acuminatae, pallor oris fere sordido-griseus. Praeterea querebatur capitis dolorem in regione frontis et temporum gravissimum, quo diu noctuque perpetuo torquebatur; dolores tendentes in regione lumbali et ossis sacri, qui sensatione comitarentur, quasi quid e gremio suo delapsurum esset. Digestio fere plane deleta, lingua muco flavo crassoque obtecta, vomitus frequens et laboriosus, quoties ciborum quantitatem vel minutissimam assumeret; vomituritio et nausea perpetüa, alvus pertinaciter clausa et modo clysmatum ope solvenda, abdomen tumidum, dysuria. Manu explorante haec indigitabantur: commissura uteri inferior magnopere consumta, orificium laxum atque in magnitudinem nummi octo grossorum dilatatum, in cujus media parte tumor rotundus, com-

pactus et doloris ungue irritante expers, qui majorem partem jam ex orificio progressus in vagina occurrebat. Inter tumorem et parietes uteri facili opera digitum introducere eoque tumorem circumtangere et ad radicem usque persequi potui, quae in fundo uteri erat. Atque in hac exploratione effluxum humoris sanguinolenti mucosi et valde foetentis animadverti. Itaque hic polypum uteri adesse erat cognitu, praesertim cum exploratione per speculum vaginae (ab obstetrice Parisiorum Boivin commendatum) instituta, dubium quodque tolleretur; hujus enim auxilio polypum rubrum et splendidum oculis fere comprehendi. Fortasse causa hujus mali abusus fuit ollae carbonariae, quam, ut hiberna tempestate corpus calefaceret, sub vestimentis collocare solebat.

Indicatio causalis eo spectabat, ut polypo exstirpato malum perniciosum radicitus exterminaretur, quanquam respectu valetudinis aegrotae universalis prognosis tantum mala auspicanda erat. Cum igitur sanguinis fluxu periculoso curatione prophylactica semoto, vires diaeta apta et idonea adauctae essent, decimo quarto mensis Maji anni MDCCCXXXI operatio polypi, quam mulier tanquam unicum salutis praesidium vehementer avebat, instituta atque excisio forficis ope a Siebold inventae peracta est. Sanguinis jactura, ad quam cohibendam omnia comparata erant, nonnisi exigua statim injectionibus aquae frigidae cum aceto mixtae suppressa est. Locus iste in superiori cavitatis uterinae parte, ubi radix polypi insederat, a digito explorante post operationem peractam bene distingui potuit. Atque effluvium plu-

ribus diebus post satis copiose e vagina destillans, lochiis post partum persimile atque foetidissimum, injectionibus ex decoctis adstringentibus paratis mox amotum atque uterus in formam suam normalem restitutus est. Deinde etiam molestiae illae, quas supra commemoravi paulatim cessabant. Restabant tamen per tempus longius magna debilitas, cephalaea vehemans, multaque mala hysterica, quae remediis roborantibus et antihystericis in usum vocatis, etsi tarde, devicta sunt, ita ut mulier octavo die mensis Augusti integra valetudine gaudens ex policlinico nostro dimitteretur. Anno insequenti mense Februarii occasione mihi oblata magna cum voluptate compertus sum, eam plane bene sese habere negotiisque suis solitis operam dare. Menstruatio regularis aderat et exploratione iterum instituta uterus ut in mulieribus non gravidis, sed multiparis repertus est. Nullum polypi renascentis vestigium.

Polypus ille, quem excisum esse narravi, magnitudine et forma erat cepae permagnae, stylo brevi et crasso instructus, pondere ℥iii ʒiii ℈ii. Inquisitio anatomica structuaram ejus ubique pariter carnosam exhibuit.

Historia II.

Anna H., quadraginta annos nata, constitutione delicatula at regulari, semper praeter infantiam bene sese habuit. Decimo sexto anno menstruatio primum apparuit, quae inde ab hoc tempore facili et regulari negotio absolvebatur. Vigesimum annum agens nupta, mox uterum gerens in tertio graviditatis mense

abortum perpessa est. Iterum autem gravida puellam adhuc viventem partu enixa est. Quatuor autem annis ex novissimo partu praeterlapsis, morbo vehementi correpta et restituta quidem est, at vero exinde inappetentiam ciborum et alvum clausam perpetuo conquerebatur; praeterea menses saepe vel diu cessabant, vel nimii et irregulares prodibant. Anno MDCCCXXXI vomitu reiterato, alvo pertinaciter clausa et gravi dysuria progressis, vehementi ex vagina haemorrhagia infestata est, quae brevibus modo intervallis per quatuor hebdomades vires et carnes magnopere depascebat. In tali rerum discrimine quanquam medicum Vratislaviae spectabilissimum consuluit, tamen ob pudicitiam, quae ei inerat, exploratione ulla per vaginam recusata, nihil levaminis afferri potuit, et haemorrhagiis perpetuis multoque vehementioribus vires ita prosternebantur, vix ut incedere valeret. Itaque initio mensis Junii MDCCCXXXI policlinicum obstetricium adiens curam et solatium accepit. Status autem morbi, cum primo eam visitarem, fere hicce fuit: facies earumnosa, corpus depastum et tantopere debilitatum, vix ut cubile deserere possit. Inappetentia ciborum, vomitus frequens, obstructio alvi gravis et pertinax, excretio urinae difficilis, dolores fixi in regione lumbali, vertigo, palpitatio, lipothymiae, praesertim tum, cum magnam sanguinis ex vagina jacturam sustinuerat. Sanguinis effluvio cessante humor mucosus albidus, valde foetens, ex vagina promanabat, cujus jactura magna vires ejusdem destruebantur. Jam vero exploratione genitalium ob periculum imminens

permissa, haecce animadverti. Statim in anteriori vaginae parte digitus explorans in tumorem permagnum, durum, aequalem, rotundum et doloris expertem incurrit, quem postquam ambierat in commissuram uteri inferiorem satis consumtam et in orificium uteri incidit, quod relaxatum superiorem tumoris partem circumdabat. Inter utrumque digitus introduci potuit, usque ad insertionem tumoris, in fundo uteri obviam. In hac vero exploratione etsi caute instituta ex sanguinis fluxu satis copioso iterum animi deliquio correpta est. Diagnosis autem polypi uteri, speculo vaginae insuper in auxilium vocato, amplius dubitari non potuit. Operatio ad polypum exstirpandum unicum auxilium, in quo omnis salutis spes niteretur, proposita et ab aegrota lubentissime accepta, postquam per plures dies analepticis sublevata erat, octavo mensis Junii instituta est. Ac primum quidem connexu quodam abnormi inter polypum et laquear vaginae, qui lymphae exsudatae ope comparatus erat, dissoluto, polypus per forficem Sieboldi radicitus ex cavitate uteri excisus est.

Magnitudine erat capitis parvi infantis, unde factum est, ut ope communis forcipis extrahi non possit, sed forceps obstetricius in auxilium vocaretur, quo tandem magnis aegrotae doloribus et lipothymia mox evanida ex genitalibus depromebatur. Sanguinis jactura vix quantitatem jß unciarum superabat, mox injectionibus ex aqua frigida cum aceto mixta suppressa est. Aegra jam decimo die post operationem magnum solamen persensit, atque e lecto descendere conabatur. Injectiones locales ex rebus adstringen-

tibus factae sunt, et usu continuo roborantium vires increscebant, et paulo post jam rebus domesticis praeesse valebat, ita ut medio Augusto integra gaudens valetudine dimitteretur. Mense Martii h. a. cum eam adirem, eadem sanitate firma gaudebat.

Polypus exstirpatus ob magnitudinem memorabilis, forma ovali, stylo brevi et crasso, structuram exhibuit tendinosam, valde compactam. Pondus ejus ℥vj ʒv ℈jj.

Historia III.

Elisabetha H., Vratislaviensis chirurgi conjux foemina quadraginta quatuor annorum, corporis constitutione regulari, habitu naturali, exceptis infantium morbis quibusdam perpetua gaudebat prospera valetudine. Menstrua anno vitae decimo quarto primum in conspectum venientia, multis semper laboribus comitata fuisse affirmat. Anno vitae decimo septimo nupta, quanquam saepius gravida, nunquam tamen infantem ullum partu edidit regulari; semper enim primis jam mensibus abortum accedisse contendit. Anno matrimonii tertio iterum gravida pulcram puellam celeriter et facile in lucem edidit. In quo puerperio magnopere aegrotavit, quia lochia ex refrigerio subito suppressa erant. Eorum loco statim leucorrhoea sese manifestasse affirmat, qua usque ad hoc tempus laborabat, nullius medici auxilio vocato in eam, quia vetula ei dixerat, fluorem album conceptionem impedire, quam ex mariti taedio abhorre-

bat; ex quo tempore amplius non concepit. Initio anni MDCCCXXX affectionum istarum, quas querebatur, primordia exstitisse narrat, ac primo sese gravidam opinabatur, cum menses longius cessassent. Porro coitum ex hoc tempore inter dolores vehementes et haemorrhagiam percepisse dicit, unde affectionum hystericarum origo ducenda est. Itaque mense Decembris marito suadente in policlinicum nostrum se contulit. In statu morbi praesente magnam praebuit debilitatem propter graves haemorrhagias typo regulari orbatas et cum leucorrhoea gravissima alternantes. Insuper tussi semper vehementi, cephalaea, vomitu laborabat. Exploratio manualis uteri polypum adesse indicavit, quod speculo vaginae adhibito confirmatum est. Itaque consilium polypi exstirpandi propositum, ac lubenter acceptum est, et operatio decimo die Decembris a. MDCCCXXXI ope forficis Sieboldii effecta. Remediis post operationem necessariis adhibitis aegrota in sanum statum transiit. Mense Martii h. a. occasione mihi data, eam negotia solita exercentem vidi. Exploratio tunc a me instituta uterum normalem, leucorrhoeam non plane remotam, evicit. Menstruatio sensim sensimque tardior post annum dimidium omnino cessavit.

Polypus iste exstirpatus ad mucosos et bullosos adnumerandus erat, forma phalli esculenti, stylo parvo, colore luteo-griseo, pondere ʒjjj ℈j.

Historia IV.

Henrica S., annos nata quadraginta quinque, corpore gracili exstructa, temperamento sanguineo, perpetua gaudebat secunda valetudine. Anno vitae decimo septimo menstruatio intravit, vigesimo autem nupta sex peperit infantes. Annos triginta septem degens abortum perpessa est; abhinc leucorrhoea vexabatur, et quamvis menstruatio regularis perduraret, inde malum ejus exortum esse dicit. Vehementes metrorrhagiae cum leucorrhoea alternantes, prostratio virium, lipothymiae, palpitatio cordis, tensio in regione lumbali, formicatio in extremitatibus inferioribus exstiterunt. Exploratio manualis et instrumentalis polypum adesse demonstravit. Primum consilium captum est, operationem apparatu ligatorio instituendi, sed constrictione facta foemina maximos percepit dolores durantibus sat gravibus haemorrhagiis, ita ut ad aliam methodum, ad excisionem scilicet, confugiendum erat. Quae methodus forfice Sieboldii optimo cum successu perfecta est. Post operationem haemorrhagia remediis stypticis cessit. Sed, quod memoratu dignissimum est, aegrota pleuritide sat gravi non multo post correpta, apparatu antiphlogistico caute adhibito, periculum imminens evitavit.

Polypus ipse remotus piri speciem prae se tulit. Illustrissimus Celeberrimus Prof. Dr. Otto, praeceptor noster dilectissimus, precibus commotus in vasa sanguifera tria, pedunculo adhaerentia, cauta

ac dexterrima manu injectiones tanto cum effectu fecit, ut subtilissima vascula capillaria massa rubra impleta in conspectum pervenerint. Epitelium, externam polypi superficiem obducens, cultro anatomico in omnibus partibus haud distinguendum, parenchyma carnosum involvit. Incisura facta perpendiculari decursus illorum trium vasorum obviam venit, quae propter structuram propriam arteriis adnumeranda erant. In centro substantia solidior et exsanguis; ad peripheriam ramificationes vasorum, rete vasculosum formantes in lucem prodierunt.

VITAE CURRICULUM.

Friedericus Leopoldus Burchard, confessioni addictus evangelicae, natus sum Posnaniae, die octavo mensis Januarii anno hujus saeculi nono, parentibus Silesiacis, illo quidem tempore ibidem versantibus. Pater optimus Joannes Godofredus Burchard, cui tunc a potentissimo Borussorum rege rerum ab bellum necessariarum commissa erat curatio, multis deinceps variisque casibus jactatus, etiam nunc munere regio fungitur Vratislaviae. Matrem amatissimam Joannam, e gente Puschneriana, grata piaque mente colendam, invida sors mihi adhuc puerulo praematura morte eripuit.

Primis litterarum fundamentis Opolii, oppido Silesiae superioris, domi a patre dilectissimo eruditoque imbutus, anno MDCCCXXII gymnasium Magdalenaeum Vratislaviense, quod tunc temporis Rectore Illustrissimo et Celeberrimo Manso (qui postea litteris et discipulis suis praemature decessit!) maxime florebat, adii, et per septennium institutionibus praeceptorum doctissimorum et humanissimorum usus sum, quorum Prorector et Prof. Ill. Dr. Glocker, ecclesiasticus Nösselt, Dr. Klossmann et Dr. Koecher, insigni benevolentia atque indulgentia morum et studiorum duces mihi fuerunt. Examine, quod est subeundum abiturientibus, rite absoluto, et testimonio maturitatis dimissus, anno MDCCCXXIX mense Aprilis, ab Ill. Prof Gravenhorst, t. t. Rectore Magnifico, numero civium Universitatis Viadrinae Vratislaviensis adscriptus, nomen apud Ill. Prof. Benedict, t.t. medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem, sum professus.

In qua alma litterarum sede per triennium hasce praelectiones audivi: Ill. Prof. Klose: Encyclopaediam et methodologiam scientiae artisque medicae, pathologiam generalem, therapiam generalem, doctrinam de infantum morbis cognoscendis atque curandis. — Ill. Prof. Glocker: Oryctognosin universalem, examinatoria de hac re. — Ill. Prof. Treviranus: Elementa botanices, demonstra-

iones et excursiones bot., physiologiam plantarum comparativam. — Ill. Prof. Otto: Anatomen corporis humani, exercitationes anatomico-practicas, methodum sectiones forenses rite instituendi, osteologiam et syndesmologiam, anatomen comparativam, anatomen pathologicam hominis et brutorum, historiam foetus. — Ill. Prof. Elvenich: Interpretationem latinam orationum Ciceronis quarundam, methodologiam studii academici. — Ill. Prof. Gravvenhorst: Zoologiam et entozoologiam. — Ill. Prof. Braniss: Hodegoticen, religionem rationalem. — Exc. Prof. Goeppert: Elementa botanices, excursiones et demonstrationes botanicas, cautelas chemiam spectantes in praescribendis medicaminibus, doctrinam plantarum officinalium secundum systema naturale, geographiam plantarum. — Ill. Prof. Steffens: Physicen universalem experimentalem, hodegeticen, anthropologiam. — Ill. Prof. Fischer: Chemiam theoreticam et practicam, examina torium de hac re, analysin chemicam aquarum medicatarum, chemiam pharmaceuticam, doctrinam de reagentibus sic dictis. — Ill. Prof. Wachler: Historiam litterariam, hodegeticen. — Celeb. Prof Lichtenstaedt: Interpretationem latinam Celsi de medicina libr. Ill. Prof. Purkinje: Physiologiam hominis, terminologiam pathologicam, physiologiam experimentalem. — Ill. Prof. Rohowsky. Institutiones philosophiae. — Ill. Prof. Benedict: Chirurgiam generalem et specialem una cum operationibus chirurgicis in cadaveribus, doctrinam de fasciis et instrumentis chirurgorum, ophthalmiatricen, examinatorium de his rebus, clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum per annum. — Ill. Prof. Wendt: Materiam medicam, doctrinam de morbis syphiliticis, de morbis chronicis et de cognoscendis atque curandis infantum morbis. Cujus viri amplissimi, gravissimi exercitationibus clinico-medicis privatissime institutis in aedibus ad fratres misericordes es in nosocomio ad omnes sanctos non sine eventu interfuisse glorior. — Exp. Dr. Seidel: Artem formulas medicas concinnandi, doctrinam medicaminum quae dicuntur physica — Ill. Prof. Henschel: Semioticen. — Ill. Prof. Thilo: Logicen. — Ill. Prof. Remer: Therapiam specialem, clinicum ac policlinicum medicum per annum.— Ill. Prof. Betscher: Artem obstetriciam cum theoreticam tum praeticam. Clinici et policlinici obstetricii, cui praeest, aditum mihi benevolentia et comitate, qua excellit, optimo cum eventu per annum patefecit. — Ceterum in clinico medico Exp. Dr. Remer jun. et Exp. Dr. Reymann jam beate defunctus; in clinico chirurgico Exp. Dr. Kirschner et Exp. Dr. Klose amicissimus semper mihi; in clinico obstetricio frater dilectissimus Exp. Dr. Burchard, benigni

mihi fuerunt duces. Cujus magnam erga me fraternam benignitatem, qua me cum in cognoscendis et curandis morbis, tum in auxiliis parturientibus ferendis, Mentor mihi semper comis atque benevolus, instituit, verba vix sufficiant exprimere.

Mense hujus anni Aprilis in hancce almam Universitatem Friedericam Guilelmam me contuli, ut in ea studia mea academica finirem. A Prof. igitur Ill Marheinecke, t. t. Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, ab Ill. Prof. Rudolphi (beate nuper proh dolor! jam defuncto), t. t. Decano medicorum ordinis maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Ab hoc inde tempore hisce virorum Illustrissimorum et Amplissimorum nunquam me poenitebit interfuisse scholis. Ill. Prof. Rust: Clinico chirurgico, in nosocomio Caritatis. — Celeb. Prof. Wolff: Clinico medico, in nosocomio Caritatis. — Ill. Prof. Link: Toxicologiae praeceptis. — Exp. Dr. Wolfarth: De cholera morbo institutionibus. — Ill. Prof. Nobilissimi a Graefe: Clinico ac policlinico chirurgico et ophthalmiatrico, in nosocomio Universitatis. —

Quibus omnibus praeceptoribus meis, Illustrissimis, Celeberrimis, Fxperientissimis, optime de me meritis, maximas, quas habeo, ago gratias. Nunquam eorum memoriam tempus delere valebit.

Jam vero, tentamine philosophico et medico, examineque rigoroso, rite superàtis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi medicinae ac chirurgiae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nervi soli sympathiae sunt conductores.

II.

Arteriarum pulsus nonnisi corde efficitur.

III.

Excisio uteri polyporum inter omnes alias methodos praestantissima est.

IV.

Venenum syphiliticum unicum est.